



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Matthaei Tympii Aureum Specvlvm Principvm,
Consiliariorvm Ivdicvm, Consvlvm, Senatorvm, Et Aliorvm
Magistratvum Cvm Ecclesiasticorum tum Politicorum
omnium**

Tympe, Matthäus

Coloniae Agrippinae, 1617

81 In Simoniacos grauißimas pœnas co[n]stituere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52641)

SIGNVM LXXXI.

IN SIMONIAICOS GRAVISSIMAS PŒNAS CONSTITUERE.

ANno Christi 496. Imp. Leo aduersus intrudētes se Simoniacā prauitate in Episcopatum, hanc Legem edidit : Nemo gradum Sacerdotij pretij venalitate mercetur : quantum quisquis mereatur, non quantum dare sufficiat, aestimetur. Profecto enim quis locus tutus, & quæ caussa poterit esse excusata, si veneranda Dei Tempa pecunijs expugnentur? Quem murū integritatis, aut vallum fidei prouidebimus, si *auri sacra fames* in penetralia veneranda proserpat? Quid denique cautum esse poterit, & securum, si Sanctitas incorrupta corrumpatur? Cesset Altaribus immingere profanus ardor auaritiæ, & à sacris adytis repellatur piaculare flagitium. Itaque castus & humilis nostris temporibus eligatur Episcopus, ut quocunque locorum peruenerit, omnia vitæ propriæ integritate purificet. Nec pretio, sed precibus ordinetur Antistes. Tantum ab ambitu debet esse sepositus, ut quærat cogendus, rogatus recedat, inuitatus effugiat: sola illi suffragetur necessitas excusandi. Profecto enim indignus est Sacerdotio, nisi fuerit ordinatus inuitus. Cum sanè si quis hanc sanctā & venerandā Antistitis sedem pecuniæ interuentu subiisse, aut si quis, ut alterum ordinaret vel eligeret, aliquid accepisse detegitur, ad instar publici criminis, & ~~la~~ Maiestatis accusatione proposita, à gradu Sa-

Ooo z

du Sa-

du Sacerdotij retrahatur, nec hoc solum deinceps honore priuari, sed perpetuo quoque infamie damnari decernimus, ut eos, quos per facinus coinquinat & æquat, utrosque similis poena comiteatur. *lib. 31. Cod. de Episc. & Cler. Vide Baron. Tom. 6. & Theatrum Histor.*

Anno Christi 528. *Iustinianus Imp.* scripsit ad *Atarbium Præfectum Prætorio: Sacerdos*, (quem admodum & Diuinis Canonibus definitum est.) ne quis Episcopus, &c. aut alius cuiuscunque dignitatis Clericus per largitionem ordinetur, &c. Si quis inuentus fuerit occasione prædictarum Ordinationum & administrationum aliquid dedisse, vel accepisse, siue Episcopus sit, siue Clericus, & eum, qui præbuit; & eum, qui accepit, extra Sacerdotium & Clerum fieri iubemus, ut post hæc Domini Dei subiaceant condemnationi, &c. Præterea sancimus, ut omnes Clerici per omnes Ecclesias constituti, per seipsos psallant, Nocturna, & Matutina, & Vespertina, ne ex sola Ecclesiasticarum rerum consumptione Clerici appareant, nomen quidem habentes Clericorum, rem autem non implentes Clerici circa Liturgiam Domini Dei: turpe enim est pro ipsis scriptos, necessitate ipsis inducta, psallere, &c. *Lib. 42. Cod. de Episc. & Cleric. Baron. Tom. 7. Vide in Speculo Clericorum signum 18.*

SIGNVM LXXXII.

SOBRIVM ESSE.

Iulius Caesar tantus fuit sobrietatis cultor ut M. Cato de ipso dixerit: ad evertendâ Rempublicam sobrius